



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

11. Quantâ patientiâ Deus, ad cordis nostri ostium, pulset, & expectet?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

quodammodo inferni faucibus recipit ad misericordiæ diuinæ fores pulsantem.

Immo tam excellens est diuinæ bonitatis magnitudo, ut ipsa pulset, & recipi flagitet. *Amulare ergo, & pœnitentiam age.* Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso, inquit, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Abraham & Loth, ille in ostio tabernaculi sui, ille in foribus ciuitatis sedit, ut hospites Angelos introducerent; vterque cucurrit in occursum eorum: vterque pronus in terram, summis precibus, rogauit, ut diuertere dignarentur. Nunc ipse sæpe Deus stat ad ostium, ipse pulsat, ipse hospitium rogat; & sui eum non recipiunt, nec est locus in diuersorio. Quid facere posset, quid deberet, si rem humano affectu vellet æstimare? Samaritani aliquando Christum in ciuitatem non receperunt. *Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt, Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de celo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Itaque etiam repudiatus stat ad ostium, & pulsare perseuerat; idq; non solum ob suam immensam bonitatem, sed etiam ob preces & bonitatem suorum. Cum enim vel Sancti eò mansuetudinis perueniant, ut neque de extreme desperatis desperent; quanto magis decet ipsum Magistrum Sanctorum (qui dixit: *Discite à me, quia mitis sum*) esse in eisdem benignum atque misericordem?

Suspiciuntur homines, & laudibus in cælum tolluntur, qui se ipsos vincere, aduersarios benignè habere, & facillè ignoscere possunt ijs, à quibus violati fuerunt. Et, Poëta teste, *Quo quisq; est maior, magis est placabilis ira.* Certè Ecclesia S. Stephani, pro lapidatoribus suis Deum precantis, exemplum intuita, ita nos docet orare: *Da nobis, quaesumus Domine, imitari, quod colimus, ut discamus, & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui non solum pro persecutoribus exorare.* Si ergo pulchrum est hominibus, benefacere ijs, à quibus maleficio affecti sunt; quanto id ad Numinis gloriam erit conuenientius? Neque enim potest, in vlla virtute, infinitis modis perfectus Deus, à mortalibus superari. Nihil ergo mirum, si summa maiestas illius læsa, non tantum veniam petentes in gratiam recipit, sed si etiam vltro eos quærit, & ad ostium cordis illorum stans pulsat, & rogat, ut aperire velint,

G g gratiam.

XI.

Apoc. 3. 20.

Gen. 18. 1.

Gen. 19. 1.

Ioan. 1.

Luc. 2.

Luc. 9. 54.

Matt. 11. 29.

XII.